


1/96

KALENDIS MAIIS

MCMXCVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 19

FASC. 112



# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hoc anno ludi Olympici extraordinarii celebrabuntur: Ante centum annos primum ludi Olympici moderni habiti sunt. Nemo



## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:  
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:  
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

autem ignorat antiquis temporibus Olympiae ludos celebratos esse, ex anno 776° a.Chr.n. - ut traditur - usque ad annum 393<sup>um</sup> p.Chr.n., cum imperator Romanus Theodosius I post 293 Olympiades illos ludos abolevit.

Anno 1896° Petrus (Pierre) de Coubertin ludos Olympicos denuo instituit, et ex eo tempore usque ad nostros dies vivunt.

Nostra quoque aetate flamma Olympica loco originis ludorum vi solis incenditur: Die 30° mensis Martii Olympiae in fano Iovis actrix Graeca nomine Maria Pambuki veste sacerdotis antiquae induta nihil nisi speculum concavum adhibens flammam radiis solis incendit et in stadio Olympico cursori tradidit. Paulatim haec flamma Atlantam, qua in urbe in America Septentrionali sita die 19° mensis Iulii ludi Olympici incipient, feretur.

Multi athletae de victoriis somniabunt, pauci tantum eas assequuntur, victores per breve tempus celebrabuntur, sed multi eorum paulo post iterum in oblivionem venient.

Nuper versus poetae Hispanici Petri (Pedro) Calderón de la Barca (1600-1681) de vitae et rerum humanarum fragilitate inveni:


¿Qué es la vida? Un frenesí.  
¿Qué es la vida? Una ilusión,  
una sombra, una ficción,  
y el mayor bien es pequeño,  
que toda la vida es sueño,  
y los sueños sueños son.

Qui Latine haec fere significantur:

Quid est vita? deliratio.  
Quid est vita? vanitas,  
umbra, species inanis,  
et bonum maximum parvum est.  
Nam tota vita somnium est,  
et somnia somnia sunt.

Quomodocumque vita et somnia se habent, vobis, cari legentes, exopto, ut nonnulla vestrorum somniorum eveniant.

Valete!

  
Daniel Weissmann

## Sententiae Hispanicae

Ecce sententiae poetarum, scriptorum, philosophorum, artificum Hispanicorum in Latinum versae!

El ejército no debe ser más que el brazo de la nación, nunca la cabeza.

Pío Baroja y Nessi (1872-1956)

Exercitum nihil nisi nationis bracchium, numquam autem caput, esse oportet.

\*

La sonrisa es el idioma universal de los hombres inteligentes.

Victor Ruiz Iriarte (\*1912)

Lenis risus est lingua hominum sapientium et intelligentium.

\*

En un mundo injuste el que clama por justicia es tomado por loco.

Felipe Camino Gallego (1884-1968)

In mundo iniusto ille, qui iustitiam vociferans poscit, demens habetur.

\*

La soledad es el imperio de la conciencia.

Gustavo Adolfo Bécquer (1836-1870)

Solitudo est imperium conscientiae.

\*

Al amor le pintan ciego y con alas; ciego para no ver los obstáculos, con alas para salvarlos.

Jacinto Benavente (1866-1954)

Amorem caecum et alatum pingunt: caecum, ne difficultates videat, alatum, ut eas superet.

\* \* \*



Dicen los jóvenes: esta pesadez de los viejos es insufrible. Dicen los viejos: este desenfreno de los jóvenes es inaguantable. Unos y otros tienen razón...

José Cadalso (1741-1782)

Loquuntur iuvenes: Ista tarditas veterum est intolerabilis. Loquuntur veteres: Ista intemperantia iuvenum non est ferenda. Uterque recte sentit...

\*

El que comunicó sus secretos a otro, hízose esclavo de él.

Baltasar Gracián (1601-1658)

Ille, qui sua secreta cum alio communicavit, se servum eius fecit.

\*

No es vencido sino el que cree serlo.

Fernando de Rojas (1465-1541)

Nemo victus est nisi ille, qui ipse se victum esse putat.

\*

El deseo vence al miedo.

Mateo Alemán (1547-post 1613)

Desiderium metum vincit.

\*

Por una mirada un mundo;  
por una sonrisa un cielo;  
por un beso... ¡yo no sé  
qué te diera por un beso!

Gustavo Adolfo Bécquer (1836-1870)

Aspectus causa tibi dabo mundum;  
risus lenis causa tibi dabo caelum;  
basii causa... nescio,  
quod tibi darem basii causa!

In Latinum vertit Daniel Weissmann

## Facete lepideque dicta

De parochio fideli

Aliquando parochus sole iam occidente birota domum vehebatur. Cum in via angusta praeter paludem veheretur, subito scrupulis in via diffusis aequilibrium amisit, de birota cecidit et -heus!- delapsus in illam paludem immersus est. Ibi brevi tempore, cum statim natate coepisset, tamen ita summersus est, ut tantum caput pectusque eius e palude exstantia viderentur. Eo autem tempore in eadem via, qua parochus vectus erat, casu siphonarii (1) in autoraeda sua colore rubro sedentes praetervecti sunt, ut incendium in vico finitimo saeviens exstinguerent. Parochus siphonariis, qui eum altius altiusque in palude immergentem conspiciabant et "Heus, parochus, licetne nobis te servare?" interrogaverant, respondit: "Minime necesse est vos me servare: nam orans iam caelicolas imploravi, ut me servarent. Non est dubium, quin hoc subito facturi sint; ergo valetate et sine cura mei provehamini!"

His dictis siphonarii mirantes et capita concutientes provecti sunt. Paulo post, cum incendium in vico finitimo exstinxissent, siphonarii domum revertentes iterum parochum praetervecti sunt. Quem, cuius iam nihil nisi caput videbatur, iterum interrogaverunt: "Heus, parochus, licetne nunc nobis te servare?" Parochus autem eis iterum: "Minime necesse est", respondit, "vos me servare, quia, ut scitis, caelicolas imploravi, ut me servarent. Quod certe subito facturi sunt. Ergo sine ulla cura mei provehamini, valetate!" Siphonarii plus quam antea mirantes et capita concutientes obtemperaverunt et provecti sunt.


Cum iam nihil nisi capilli parochi videbantur, alii siphonarii autoraeda appropinquaverunt, sed serius quam ut adiuvari possent, advenerunt: parochum totum submersum iam animam efflantem conspexerunt.

Parochus tali modo mortuus ante portam caeli denique advenit et Deo, qui eum cordialiter salutaverat, "Et ego", inquit, "Te Deum immortalem cordialiter saluto. Quod mihi licet caelum intrare, maxime gaudeo. Sed velim dicas mihi, pater immortalis: Cur meam vitam non servavisti, quamquam Te, ut id faceres, precibus meis e palude ad Te missis

imploraveram?" His autem verbis Deus aliquantum moleste ferens tamen benigne ridens respondit: "En, mi fili, quid egomet amplius facere potuissem quam ter tibi siphonarios auxilio mittere?"

1) siphonarius    Feuerwehmann/pompier/vigile/bombero/fireman

Udalricus Aeschlimann



Hanc imaginem Simone Aeschlimann pinxit

# Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. planta quaedam
2. mente captus
3. aliud alii adicit
4. incipere
5. adsis, sed non sedens

Daniel Weissmann



## DE NOVARUM TERRARUM INVENTORIBUS

### Pars tertia: De Alvario Nuñez Capite Bovino

Etsi Columbum Americam primum invenisse et detegisse non verum esse haud ignoramus, tamen Hispani inter eos fuerunt, qui illam 'novam' continentem occupaverunt et indigenis eripuerunt.

Non autem loquar hodie de notissimis illis 'conquistatoribus', qui dicuntur, velut Cortez et Pizarro, quos partim ob audaciam et fortunam admiramus, partim ob agendi crudelitatem condemnamus, sed de Hispano quodam nomine Alvar(io) Nuñez, cui cognomen erat Cabeza de Vaca, quod Latine est Caput Bovinum.

Qui Nuñez inter quadringentos circiter milites erat, qui Narvaez quodam duce ad Floridam occupandam profecti erant anno 1528°. Sed Florida paeninsula non aliter ac hodie plena erat paludum maxime inviarum. Praeterea tunc temporis abundabat indigenis ferocibus, sed suae regionis peritissimis, qui e latebris pugnantes invasoribus nec vocatis nec amatis perniciem improvisam paraverunt. Qui autem Hispani non Indianorum sagittis perierant, febris palustri, fame, siti muscisve laboraverunt. Ceterum naves, quas Narvaez ad certum locum navigare iusserat, die dicta ibi inveniri non potuerunt. Qua de causa Narvaez milites et nautas, qui nondum obierant, novas naves aedificare iussit. Cum quinque naves simplicissimae essent constructae, Hispani per Sinum Mexicanum sibi tunc temporis plane ignotum in Mexicum navigare studebant, quod ibi se compatriotas inventuros esse et servatum iri pro certo habebant.

Quarum quinque navium uni praeerat Alvarius noster Caput Bovinum. Procella vero naves mox separatae sunt. Alvarii navis die 6° mensis Novembris anno 1528° orae maritimae allata est viris navigantibus omnino ignotae. In appellando nonnulli viri submersi sunt, ceteri navem restaurare sunt conati, sed, quod fame et morbis nimis erant infirmi, inceptum eorum ad irritum redactum est: navis discrepuit et submersa est.

Indiani alliciti Hispanis adfuerunt et una cum advenis ignotis sortem illorum pessimam deploraverunt. Sors quidem pessima erat: Hispani neque sciebant, ubi essent - hodie scimus eos Galvestoniam appulisse, insulam in Sinu Mexicano haud procul a Texia (vulgo: Texas) sitam - neque habebant, quo vescerentur. Indiani ipsi minime similes erant illis populis praeclaris Mexicum habitantibus, sed cultum humanum vix noverant: vestimenta, venationem, agri culturam ignorabant, sed vivebant rebus, quas inveniebant et colligebant. Imprimis cochleis, radicibus ficisque feris vescebantur.

Die proximo Capitis Bovini socii alios Hispanos sunt frequentati, sed ii haud minus miseros se habebant, quod etiam naufragi ad eandem oram erant allati. Quattuor viri natandi peritissimi emissi sunt, qui portum proximum ab Hispanis incultum petere conarentur. Reliqui in insula remanserunt, sed plerique mox mortui sunt, seu morbis fameve oppressi, seu ab Indianis trucidati, qui, cum

Die proximo Capitis Bovini socii alios Hispanos sunt frequentati, sed ii haud minus miseros se habebant, quod etiam naufragi ad eandem oram erant allati. Quattuor viri natandi peritissimi emissi sunt, qui portum proximum ab Hispanis incultum petere conarentur. Reliqui in insula remanserunt, sed plerique mox mortui sunt, seu morbis fameve oppressi, seu ab Indianis trucidati, qui, cum stomachi morbo letifero essent affecti, advenas naufragos morbi auctores esse rati, inimicos se in Hispanos gerebant. Hieme ineunte Indiani quindecim (!) Hispanos superstites - inter quos et Alvarium Nuñez - secum in terram solidam traxerunt, quae postea Texia vocata est. Quo enim hieme quotannis ad fida colligenda cedebant. Alvarius suique Indianorum servi facti erant.

Paulatim tredecim Hispani obierunt, remanserunt tantummodo Alvarius ipse atque socius nomine Lope de Oviedo. Die quodam ambo fugae iam diu praeparatae se mandantes in meridiem sunt profecti, quod ibi Mexicum situm esse suspicabantur. Oviedo autem iam inopia infirmus factus ire pergere nolens in servitutem Indianicam revertit.

Caput autem Bovinum ire perrexit, sed mox ab aliis Indianis captivatus et in vicum Indianicum portatus est. Ibi Andream Dorante et Alonzum de Castillo invenit, alios ergo Hispanos, quos Indiani iam antea ceperant. Etiam Stephanus (vulgo: Esteban) quidam, servus Maurus, cum eis erat.

Alvarius Nuñez sociis persuasit, ut denuo fugam praepararent. Sed quo se verterent et quam longum iter foret, nesciebant. Attamen nudi plane die quodam effugerunt Mexicum quaesituri. Sole et frigore vexati, procellis harenosis cruciati, fame et siti oppressi plus tolerabant quam homines tolerare posse videntur. Interdum etiam ab Indianorum gentibus vel salutati vel captivati sunt. Tantummodo non interfecti sunt, quod medicos esse se simulantes aegrotos curaverunt et - quam miraculum! - omnibus medicaminibus expertes et orantes modo nonnullos aegrotos sanare potuerunt. Indiani autem tales 'medicos' retinere cupiebant, ut quattuor Hispani pericula gravissima tantum perpessi fugam continuarent.

Tandem ad Indianos pervenerunt, qui domos aedificabant et agrum colebant. Qui Indiani Alvarium sociosque eius deos esse putaverunt et Hispanos reverendissime acceperunt. Ibi

Alvarius denique alios Hispanos vidit. Servatus est!  
Sic quattuor homines nudi immensam Americanam continentem a  
solis ortu ad occasum primi sunt transgressi. Quod iter  
incredibile septem annos explevit!

Alvarius Nuñez tunc in Hispaniam renavigavit, sed antea  
multum de septem civitatibus auro et argento impletis  
fabulatus erat. Quibus fabulationibus confidentes alii  
'conquistatores' terram auream (Hispanice: El Dorado) quae-  
sitaverunt, sed iterum iterumque decepti aut regressi sunt  
aut in desertis misere perierunt. Aurum in America septen-  
trionali quidem est inventum, sed tribus saeculis post.  
Tunc autem illa pars Americae non iam Hispanis erat, sed  
Civitatibus Unitis Americae.

Martin Meier



### CATULLUS LUDIBUNDUS

Ad senem Coloniensem, qui tenellam neglegit  
uxorem

Mule, quid uxorem teneram tu neglegis istam,  
quae multis cordi est, quemlibet ipsa fugit?  
Non etenim semper poterit servare pudorem haec,  
cui vir tam stultus contigit atque senex!

Ad amicum Camerium, qui nusquam inveniri potest

Te dum sub tenebris quaero per compita fessus,  
quoddam scortillum dulciter ac lepide:  
"Iste comes" - clamat - "tuus hic est" atque papillas  
detexit niveas praebuit et mihimet.  
"Amisum comitem, quaeso, mihi des retinendum"  
respondi, digitis pectora cum tetigi.

Ad Quinctium et Ravidum, qui Lesbiam Catullo  
eripere sunt conati

Non sic Penelopen dilecto arsisse viro nec  
Admeti uxorem Lesbia candida fert.  
Ipsa procos tamen auscultat, qui verba susurrant,  
nedum pro sponsis audeat ipsa mori!  
Ravide, Quincti illam mihi tunc subducere nixi,  
talibus ah dictis credite nunc miseri!

De Catulli cum Aufillena carmine amoebaeo

"Donabunt alii tibi plurima munera sane,  
deficient nec te, perfida, divitiae.  
Non autem valeat nisi vates reddere blandus  
te aeternam claris, pupula, carminibus.  
"Curabunt aliae fieri aeternas tua propter  
carmina, quae perget volvere posteritas.  
Aufillena tamen vult plurima munera nunc iam  
dum vivit neque post ulla futura putat."

Orestes Carbonero




### Adoptate libros!


Haud ignoramus: libri quoque in senectutem veniunt. Aetate  
confecti et 'vitiatique dentibus aevi', ut dicit Ovidius  
noster, saepe in angulo cuiusdam bibliothecae iacent. Sed  
non modo plantis bestiisque, sed etiam libris antiquis  
pretiosisque auxilio venire oportet. Hoc luce clarius: sine  
cura restauratorum conservatorumque libri aegrotantes nemi-  
ni usui esse possunt.  
Modus agendi Bibliothecae Centralis Turici sane mirabilis  
est. Homines, qui bibliothecae praesunt, optant, ut nos

omnes causam librorum antiquorum, qui restaurandi sunt, complectamur. Itaque homines illi dictum 'Adopta aliquem librum' promulgaverunt. Quo modo nobis locus datur, ut aliquid pecuniae in libris servandis insumamus. Ita biblia aurea, liber ab Antonio de Rampigollis editus, quingentis francis Helveticis servari poterit. Liber quidam a philoso- pho nomine Thomas Aquinas scriptus, pulvere squalens et deformis, duodecim milibus francorum Helveticorum restaura- ri poterit. Omnia dona, quamvis parva, grata et accepta erunt. Donator in honore habebitur, quin etiam immortalita- ti commendabitur, nam in omni libro restaurato servatoris nomen edetur.

Barbara Maier



Ante restaurationem



Post restaurationem


### De auguribus

Romani, cum res graves suscepturi erant, auspicia publica non neglegebant. Sperabant Iovem eo modo futura nuntiaturum esse. Saepe magistratibus augures aderant, ut signa incerta explicarent. Auguribus praesentibus magistratus aves spec- tabant. Si aves a sinistra ad partem dexteram volabant, Romani putabant fortunam rei publicae bonam esse. Si ad alteram partem volabant, calamitatem magnam timebant. Puta- bant quoque deos specie fulgurum voluntatem suam monstrare. Auspiciis cognitis Romani aut legatos alienos audiebant aut dimittebant aut bella inibant aut pacem faciebant. Magna erat auctoritas augurum. Scimus autem multos auguribus non credidisse. Dixerunt augurem non sine risu alterum augurem spectare posse.


Barbara Maier

# Curriculum


Socii:



Venus, quae libenter theam bibebat, quae eam pulchram faciebat. Victoriae adipiscendae occasionem habebat.



Mars, qui mortuam bestiam in capite portabat. Valde insidiosus erat, quod multa bella gerere debebat.




Iupiter: Potens erat, quod alios deos regebat. Multae fabulae de eo narrabantur.




Homerus, qui caecus erat, bonam musicam faciebat. In fabula semper cantator erat.




Curriculum incepit...



Homerus caecus instrumentis musicam fecit.




Quod caecus erat, non vidit, quo vexit.




Mars sagittam misit!




Adiuuate me!




Iam sanitarii venerunt...



Mars solus reliquus est et primus in metam venit! Vicit!



Victor sum!



Finis

Mario Haefeli 95

## *anno 1996° futurae et Belgicum Helencinense*

62. Helencinense in Belgica; quod oppidum Brabantiae Helenciniūm (*Flan-drice: Opheyllissem, Francogallice: Hélécine*) a Bruxellis aliqua quin-quaginta chiliōmetra ad orientem versus abest, ubi est domus multorum conclavium commodissima. Quod aedificium magnificum vereque amplum et spatiosum saeculo duodevicesimo exstructum abbātīa fuit Praemonstratensium. Ibidem etiam viridarium est periucundum. Pretium denique ĩdem fere est, quod fuit Vavriae, ubi sunt interea condiciones mutatae.

12.8.-19.8.1996

*Themata* autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit *Dr P. C. Eichenseer*, qui iam ab anno 1973° talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset Latinitatis omnium aetatum vere peritus. Eius cooperatrix, *D.rix Sigrides Albert*, iam ex compluribus annis eos imprimis, qui primum adsunt, sed etiam alios, delectabiliter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 170 marcae Germanicae solvenda sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (pecunia pro pernoctatione et victu in deversorio solvenda est):

VOX LATINA  
18353-661  
Postgiroamt Saarbrücken  
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Seminarium Belgicum qui volunt participare ratione epistulari vel telephonica adeant satis mature D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:

M. le Docteur Guy Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B - 1040 Bruxelles  
(numerus telephonicus: (02) 7350408)

SOCIETAS LATINA

## *Seminaria «Latinitatis vivae» Helveticum Morsacense*

61. Morsācī [*Morschach*] in Helvetiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

28.7.-3.8.1996

Sunt autem seminaria nostra «*Latinitatis vivae*» prima huius generis, quae inde ab anno 1973° intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroāses qualitatis variae fiunt. Sed in nostris seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint coloris vere Latini, ut et pronuntiatum vere Latinus proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque loquamur. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Morsacense seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

Societatem Latinam  
Universität - FR 6.3  
Postfach 151150  
D - 66041 Saarbrücken  
(numerus telephonicus: 0681 / 302-3192)

# SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:                      secundum praemium:      tertium praemium

B.R. Bishop	Bernhard Christen	Dr. Beat Zehnder
155 Leighton Avenue	Dürrestr. 15	Geissliäcker 1
Leigh-on-Sea SS 9 1 PX	5314 Kleindöttingen	5623 Boswil
Essex		
Grossbritannien		

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur!  
Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1	L	A	U	R	A	M
2	A	P	R	I	L	E
3	U	R	A	N	I	A
4	R	I	N	G	A	R
5	A	L	I	A	T	E
6	M	E	A	R	E	S



Europäische Lateinwochen e.V., Frankfurt am Main (Germania)

## LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

### LATINITATEM INTER NATIONES

*Octava Septimana  
Latina Amoeneburgensis*

moderatores: Thomas Gölhäuser, Nicolaus Sallmann, Vanessa Kayling, Dominika Rauscher

quando?: a die 11<sup>o</sup> usque ad diem 17<sup>im</sup> mensis Augusti anno 1996<sup>o</sup>

ubi?: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-35287 Amöneburg (Amoeneburgum apud Marburgum)

pretium: 330.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus" (maximus numerus participum erit 30), 140.- DM pro institutione (includitur pretium pro duobus cenis Romanis et pro excursione)

Inscriptiones ad hanc *Septimanam Latinam* petuntur usque ad diem 15<sup>im</sup> mensis Iunii ad:

Thomas Gölhäuser  
Kleeberger Straße 40  
D-35510 Butzbach

Vos, discipuli, studiosi, magistri sermonisque Latini amatores ad *Septimanam Latinam Amoeneburgensem* invitamus. Discite Latine loqui! Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad litteras per saecula exprimentas tam in vita cotidiana adhuc valet. Etiam rem coquinariam Romanam colemus, ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet, instrumenta musica! Si plus scire voletis, telephonate ad:

Thomas Gölhäuser, tel. (0049)-6033-16557

Vos salutant

Thomas Gölhäuser, Nicolaus Sallmann, Vanessa Kayling, Dominika Rauscher





HELLENIC CULTURE CENTRE  
GREEK LANGUAGE COURSES  
Arethoussa, 83 302, Ikaria, Greece  
Tel: (30 1) 6477465, (30 94) 435221  
Fax: (30 1) 6477465, (30 275) 61 482

### Institutiones linguae Graecae... et feriae in Graecia!

Societas Cultus Graeca programma moderna et intensiva ad linguam (neo)Graecam discendam in insula Icaria in mari Aegaeo sita offert. Praeterea res variae suscipi poterunt, et Graecia hodierna ostendetur.

### Greek Language Courses and... holidays in Greece!

Hellenic Culture Centre offers an intensive modern Greek language programme in the island of the Aegean sea Ikaria, combined with activities and presentations of modern Greece.

Information: till 6/1/96:  
PO Box 65006  
154 01, P. Psihiko,  
Athens  
Fax/Tel: 30 1 6477465

after 6/1/96:  
Arethoussa, 83302 Ikaria  
Fax: 30 275 61482 / Tel: 30 94 435221



### GRIECHISCHES KULTURZENTRUM

Griechisch in Ägäis

Sommerkurse, Insel Ikaria, Griechenland

Das Griechische Kulturzentrum schlägt Ihnen für diesen Sommer etwas Aussergewöhnliches vor: Neugriechisch in zwei Wochen. Die Kurse finden vom Mai bis Oktober auf der Insel Ikaria statt und richten sich an Ausländer. Unser Wunsch ist es, Sie mit der griechischen Sprache, aber auch mit der Kultur Griechenlands und speziell der Ägäis in Kontakt zu bringen.

Um uns erstmal vorzustellen! Das Griechische Kulturzentrum ist kein Touristenbüro. Uns war vor allem wichtig, Menschen aus aller Welt auf dieser kleinen griechischen Insel zusammenzubringen und sie mit der Sprache und Kultur Griechenlands bekanntzumachen. Dadurch werden wir noch einmal daran erinnert, daß wir trotz unserer verschiedenen Herkunft doch viele Gemeinsamkeiten haben. Griechenland ist nicht nur das Land der Sonne und des Meeres. Es war schon immer ein wichtiger kultureller Mittelpunkt.

Aus diesem Grund bieten wir unseren Kursteilnehmern außer den Vormittagskursen die Möglichkeit, an Ausflügen teilzunehmen und Land und Leute kennenzulernen. Das Leben auf Ikaria verläuft noch nach traditioneller Art und Weise, weit weg von der Hektik des Alltags.

Die Ägäis muß nicht nur als sommerliches Badeziel ein Reiz für Nordeuropäer bilden. Sie ist eine Region, in welcher die ältesten Spuren des Lebens schon in der Zeit der Zykkladischen Kultur um 5000 vor Christus auftauchen und noch immer zu sehen sind. Völker und Eroberer, die später überall im Mittelmeerraum geherrscht haben, trafen sich in diesem speziellen Gebiet und machten den Archipel zu einem Schnittpunkt von verschiedenen Kulturen.

Wir haben unser Programm so eingerichtet, daß diejenigen, welche touristischen Rummel und überlaufene Strände scheuen, ihre Ferien anders verbringen können, indem sie am Leben der Einwohner einer kleinen Insel teilnehmen, einsame Wanderwege hinaufsteigen, einheimische Spezialitäten probieren und schließlich in die Geheimnisse und Mythen der Kultur eines Archipels eingeweiht werden.

**DER ORT:** Unsere Schule befindet sich in einem kleinen Dorf, das Evidilos heißt. Auf Altgriechisch bedeutet Evidilos "das, was man von weither gut sehen kann". Dieser altgriechische Name ist nur ein Beispiel von vielen, die sich bis heute auf Ikaria erhalten haben. Wir haben diesen Ort wie auch die Insel Ikaria wegen ihrer natürlichen Schönheiten und malerischen Idylle gewählt, aber auch wegen der alten Traditionen, die im alltäglichen Leben und in Bauwerken sichtbar sind.

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)  
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann  
publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH-8400 Winterthur



PP/Journal

4702 Oensingen

1/96

KALENDIS MAIIS

MCMXCVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 19

FASC. 112